



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

M. Ant. Mvreti Variarvm Lectionvm Libri XV

Muret, Marc-Antoine

Antverpiæ, M. D. LXXXVI.

Cap. 4. De veteri prouerbio, quo dicebatur, quod pulchrum est placere.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-70864](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-70864)

aliquo alio numero: & cum deni creantur, tum nulli perniciosi reperiantur. quod si esset, ne mirificam illi vim numerus habuisset. ego addendam particulam, *non*: & totum locum ita legendum puto: *At duo Gracchi fuerunt. Et præter eos quamuis enumeres multos licet, cum deni creentur. Non nullos in omni memoria, &c.* Illud enim, *At duo Gracchi fuerunt*, quasi ex Quinti persona Cicero dicit. Deinde respondens, ait non eos tantum proferri posse, verum etiam eorum similes quamuis multos. neque id mirum esse, cum deni creentur. etenim in tanto numero; non est mirabile plures improbos extitisse, quam in iis magistratibus qui bini creabantur. Tum subiungit: si evolvantur annales, & antiquitatis memoria replicentur, nonnullos repertum iri perniciosos tribunos: leues autem etiam non bonos fortasse plures. Hoc tamen magnum bonum in tribunatu inesse: quod efficit, ut ordo senatorius invidia careat. Nullos autem in omni memoria perniciosos tribunos fuisse, nemo, opinor, nisi planè *ἀνισόθεν* dixerit.

De veteri proverbio, quo dicebatur, quod pulchrum est, placere. CAP. IIII.

QUAE pulchra sunt, habere eam vim, ut statim inspecta, omnium sibi voluntatem conciliant, amoremque adiungant, nemini ignotum esse, nisi communis sensus experti, potest. Itaque scitum est illud Aristotelis, qui interrogatus ab aliquo, qui fieret ut pulchri tam facile ab omnibus amarentur: cæci eam interrogationem esse respondit. & Græci sapienter sua lingua pulchro ex eo indidere nomen, quod omnes ad se alluciat: dixerunt enim *καλὸν, παρὰ τὸ καλεῖν, ὅτι πάντες ἐφ' ἑαυτὸ καλεῖ*. Testati sunt idem vulgato olim proverbio: quo

bio: quo dicebant, quod pulchrum esset, id demum
amicum esse. eo usus est Euripides in Bacchis: vbi hic
versiculus legitur,

Ο, π καλὸν φίλον αἶψι.

& Plato in Lyfide: Ἀλλὰ πῶς ὄντι αἰψὲς ἰλιγγίῳ ἕσθ' ἢ τὸ κα-
λὸν ἀποείας, καὶ κινδυνεύεις, κατὰ τὴν ἀρχαίαν παροιμίαν, τὸ καλὸν φί-
λον αἶψι. Eius autem originem ad Musas & ad Gratias
referunt: quæ cum conuenissent ad nuptias Cadmi &
Harmonia, pulchrum carmen, quo ea sententia con-
tineretur, immortalis ore cecinerint: nouæ nuptæ pul-
chritudinem, vt verisimile est, commendantes. Hoc
de sapientissimo poëta Theognide cognouimus: cuius
hæc sunt,

Μῦσαι καὶ Χάριτες, κοδρᾶν Διὸς, αἱ ποτὲ Κἀδμῶ

Εἰς γάμοι ἐλθέσθαι, καλὸν αἶψατ' ἔπειτα.

Οτ, π καλὸν φίλον ὄντι, τὸ δ' ἔ καλὸν ἔ φίλον ἔστι.

Τὸτ' ἔπειτα θανάτων ἦλθε διὰ σωματίων.

nam ad illas nuptias venisse diuos, testatur etiam Eu-
ripides in Phœnissis:

Ἀρμονίας δὲ ποτ' εἰς ὕμναίους

ἦλθον ἐστνίδαι.

Sed & Hellanicus, & Apollodorus Musas cecinisse in
nuptiis Cadmi, ad easque conuenisse diuos, & nouæ
nuptæ munera obtulisse scripserant.

De loco quodam Varronis aduersus Petri Victorij sen-
tentiam disputatum. CAP. V.

Posvi iampridem magnum studium in iis fra-
gmentis M. Varronis, quæ dispersa passim apud
veteres Grammaticos, ac præcipuè apud Nonium le-
guntur. magis autem mihi placere meum illud stu-
dium cœpit: Posteaquam Petri Victorij (quem ego
hominem, etsi sæpè ab eo dissentio, longè tamen facio
pluri-

Ant. Mureti
Lectio
LIII
25